

bellum armatas suis expensis, usque ad bellum finitum.

Item convenerunt, quod in praesenti pace et foedere dimissus sit et intelligatur locus honoratissimus praefato sanctissimo domino Hadriano sexto Pontifici maximo, et Serenissimo ac potentissimo regi Angliae, qui quidem principes praesentis pacis et foederis sint conservatores.

Item convenerunt et declaraverunt, quod in praesenti pace et foedere comprehensi intelligantur et sint singuli ipsarum partium et utriusque earum confoederati et colligati, exceptis tam ipsius sacratissimi Caesaris quam illustrissimi Domini Venetiarum, serenissimi archiducis Austriae et illustrissimi ducis Mediolani apertis hostibus et inimici. Et ex nunc, pro ipsius sacratissimi Caesaris parte, nominantur serenissimi reges Portugaliae, Hungariae et Poloniae, Illustrissimus dux Sabaudiae, Illustrissima Respublica Florentina, illustrissimus et reverendissimus cardinalis Medices et eius familia, illustrissimus Antoniotus Adurnus dux Genuae, Illustrissimus marchio Mantuae, civitates Senarum et Lucae, ac illustrissimus marchio Montisferrati. Reservantque sibi praefatus sacratissimus Caesar et illustrissimus dominus Dux ac excellentissimum Dominium Venetiarum facultatem nominandi alios quos voluerint in termino mensium sex, ita tamen quod praefatum excellentissimum Dominium non teneatur ad aliquod auxilium pro defensione praefati illustrissimi domini Antonioti Adurni et status Januae.

Ultimo declaraverunt et convenerunt quod omnia et singula in praesenti contractu et capitulis contenta, intelligantur sincera et bona fide.

*Tenor autem brevis Summi Pontificis praefati, quo pollicetur observantiam omnium superscriptarum talis ut sequitur, de verbo ad verbum.*

Hadrianus Papa sextus, dilecte filii salutem et apostolicam benedictionem. Cum plane videamus imminenti a perfidis turcis maximo christianae Reipublicae periculo, nullum, post Omnipotentis Dei, auxilium, iam restare remedium, nisi inter christianos principes universalis pax et concordia fiat, sine qua procul dubio omne christianum nomen, extremae calamitati et ruinae proximum esse videtur. Ea autem facta, cum, eiusdem Dei adiutorio, omnia prospera et felicia sperare possumus. Idcirco in hac unam rem, ut scilicet eosdem Prin-

cipes a mutuis bellis ad veram concordiam inter se ineundam, et arma sua hucusque christiano ac fraterno sanguine foedata in dictos turcos celerius convertenda iudicamus, toto studio multos iam menses, ut se, summa cum diligentia incumbimus, putantes Nos pastoralis officio nostro nulla alia re melius satisfacere posse. Quam ob rem, cum intelligamus inter inclitum istud Dominium eiusque Ducem, et dilectos filios oratores et agentes charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Regis Catholici in Imperatorem electi certam concordiam tractari, tibi iniungimus et committimus ut omni qua poteris efficacia et instantia, ipsum Ducem et Dominium, dictosque oratores et agentes, ex parte Omnipotentis Dei et nostro nomine requiras, horteris, moneas et roges, ut pro universali omnium christianorum salute, et fidei, ac religionis nostrae extremae periclitantis defensione, depositis omnibus simultatibus, difficultatibusque omnibus propter Christum reiectis et referatis firmam pacem ac inviolabilem amicitiam inter se faciant et componant. Et ne forte ab hac re tam sancta, tamque necessaria retrahantur, quod de pactorum et capitulorum hinc inde violatione in posterum facienda dubitent, pro eorundem capitulorum pactorum et conventorum, sub quibus dictam pacem atque amicitiam inter eos iniri contigerit, perpetua ac inviolabili observatione, nostro nomine, omnem nostram et huius Sanctae Sedis auctoritatem, potestatem et fidem interpones, polliceberisque, prout et nos per praesentes in verbo veri Pontificis, et sub inviolabili fide nostra promittimus, nos omnem operam, auctoritatem, studium ac diligentiam ex parte nostra et dictae Sedis semper interposituros, ut pacta, capitula et conventa omnia inter ipsos occasione huius pacis ineunda, rata, firma ac stabilia permaneant, nec ulla ex parte violentur. Et super huiusmodi inter eos pactis, conventis et concordatis, omnes litteras apostolicas, etiam ad perpetuam rei memoriam et firmitatem, in forma uberiori prout dictum Dominum petierit concedemus et faciemus. Tu igitur, in hoc tam sancto negotio pertractando eam quam de tua prudentia et fide expectamus, summam adhibebis diligentiam, ut iuxta desiderium nostrum, et prout totius christianae religionis necessitas extrema requirit in Domino perficiatur.

Datum Romae, apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die ultima Ianuarii, millesimo quingentesimo vigesimo tertio, Pontificatus nostri anno primo.

T. HEZIUS.